

11+12 / 85

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMLXXXV



RVMOR VARIVS



TOMUS 8

FASC. 56

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI in aedibus AKADIS editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	öS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans-	
maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TVRICENSIS unter dem Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	öS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Fasciculo, quem manu tenetis, seriem libellorum hoc anno editorum finimus. Cum autem dies natalis Christi mox adsit, ego in hac praefatione vobis non modo gratias ago, quod et hoc anno Rumori Vario fidem praestabatis, sed etiam mea vota exprimam, ut felicem diem natalem Christi felicemque novum annum MCMLXXXVIum celebretis! Cum denique fas sit vota in novum annum dicere, hic tria vota mea, quae mihi maxime cordi sunt, addam:

Primum, ut pax, ubicumque inter homines adhuc regnat, servetur; alterum, ut pax etiam inter populos bellum inter se gerentes denique restituatur; tertium, ut toto orbe terrarum homines aegroti sanentur, fame cruciati tandem perpetuo cibo necessario alantur. Repeto:

Felicem diem natalem Christi omnibus! Sit vobis annus MCMLXXXVI ineundus felix, faustus, fortunatus!

* * * * *

Post scriptum: Votum meum, quod ad Rumorem futurum Varium florendum pertinet: Opto, ut numerus amicorum, qui nostro libello manuscripta publicanda mittant, novo anno maxime augeatur!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann

Dee

Dee

SEMINARVM LATINVM HELVETICVM

Magna cum hilaritate, sed - quod est dolendum! - paucis participantibus anno 1985^o primum factum est Seminarium Latinum Helveticum in vico Morschach supra Lacum Quattuor Pagorum sito.

Ut numerus participantium augeatur, iam nunc adnuntiamus Seminarium Latinum anno 1986^o iterum fore in eodem vico Morschach, sed non iam autumnali, sed aestivo tempore, quo plures et Helvetii et alieni participare possint.

Seminarium ergo erit inter diem 27^{um} mensis Quinctilij (Iulij) et diem 2^{um} mensis Sextilis (Augustij) anni 1986^o. Plura de condicionibus participandi, de more instituendi deque rebus pecuniariis legetur in proximo fasciculo mense Februario in lucem procedente.

Fatendum autem est hoc: Si iterum tam pauci homines participaverint quam hoc anno 1985^o, nulla iam seminaria Latina in Helvetia exhiberi poterunt. Qua de causa necesse est veniatis, accurratis, properetis, o Latinitatis cultores! Iam hodie dies supra dictas rubro colore notate! Spero multos vestrum me in vico Morschach visurum!

Martinus Meier



DE SANCTO NICOLAŌ


Festivi Natalis Domini dies appropinquant et permulti homines Nativitatem Christi magno cum gaudio agere desiderant.

Apud nonnullas gentes Europae, velut apud Helvetios, Germanos, Danos dies Natalis Domini cum die festo Sancti Nicolai coniungitur. Sane die sexto mensis Decembris ille vir sanctissimus pueris iuvenibus ac omnibus, qui cor iuvenile habent, munuscula non ingrata mittit.

Sanctus Nicolaus, episcopus et confessor, natus est saeculo quarto Mirae in Asia Minore. Vitam honestissime egit, nam beneficia per multa pauperibus miserisque tribuit. Saeculo undecimo corpus eius a mercatoribus quibusdam ereptum ac in Italiam, in oppidum Barium translatum est. Translatae quoque sunt multae fabulae iucundissimae pertinentes ad vitam Sancti Nicolai. Plerumque sub vesperum diei sexti mensis Decembris Sanctus Nicolaus in viis vicorum oppidorumque videtur. Persaepe se praebet mitratum, barba argentea ornatum. Baculum in manu habet. Persaepe homo facie nigra ac terribili eum comitatur. Cui est nomen Famuli Ruperti. Is liberos molestos libenter in saccum immittit. Saccus eius autem munuscula continet. Viri ambo ianuas domorum pulsant et Sanctus Nicolaus interrogat: Suntne hic pueri mali? Pueri vero respondent: Non sunt pueri mali, bone vir, nos omnes pueri optimi sumus. Tum sanctus vir domum intrat et liberis dulcia, nuces malaque distribuit. Deinde aliam domum aliosque pueros petit.

Non semper Sanctus Nicolaus eo die apparet. In aliis regionibus Europae velut in Lithuania sanctus vir nocte Natalis Domini ipsa liberos invisit eosque donis pulcherrimis delectat.

Barbara Maier



Carmen natalicium

Caelitus, angeli, venite....

(Vom Himmel hoch, o Engel, kommt....)

Caelitus, angeli, venite!
Eia, eia, susani, susani, susani!
Venite, salite (saltate)!
Venite, canite (cantate)!
Alleluja, alleluja!
De Iesu cantate et Maria!


Instrumenta afferte omnia,
Eia, eia, susani, susani, susani!
Violas, lyras, psalteria!
Alleluja, alleluja!
De Iesu cantate et Maria!

Facite audire voces omnium.
Eia, eia, susani, susani, susani!
Ludo organi atque fidium!
Alleluja, alleluja!
De Iesu cantate et Maria!

Ludus fidium longe resonet.
Eia, eia, susani, susani, susani!
Puerus bene dormitet!
Alleluja, alleluja!
De Iesu cantate et Maria!

Hominibus pacem cantate, eia,
Eia, eia, susani, susani, susani!
Deo laudem gloriamque in saecula!
Alleluja, alleluja!
De Iesu cantate et Maria!

Versio Latina: AMICUS



Litterae ad legentes

Eiichirous Tani editoribus Rumoris Varii salutem dicit.

Me prudet Latine rarissime scribere quamquam in universitate grammaticam Latinam doceo. In Iaponia perpauca Latine sciunt. Scio multos Europaeos Latine intellegere, sed timeo ne eis sim risui si ego ad eos Latine male scribam. Hodie cum diurna Anglica legerem, repperi opinionem Sinensium de consiliis militaribus Americanis quae vulgo 'bellum stellarum' dicitur. Aliquis orator Sinensis apparebat de celeberrimo proverbio Sinico mentionem facere. Equidem de problematibus politicis disserere nolo. De illo proverbio quod in Oriente Extremo notissimum est narrabo.

Pilum et scutum


Mercator quondam pila scutaque venditabat. "Hoc pilum" inquit "est tam acutum et tam penetrabile, ut nulla scuta non penetrare possit. Hoc autem scutum est tam durum tamque impenetrabile, ut nulla pila hoc penetrare possint." Audiit versutus quidam mercatoremque rogavit: "Quid fit, si istum scutum impenetrabile isto pilo penetrabili penetrare conaris?" Mercator respondere non poterat.

Iaponice et Sinice 'pilum scutumque' idem valet quod inter se repugnantes naturae (incompatibilitas).

Curate ut valeatis.

Narae, a.d.XI.Kal.Nov.



Eiichiro Tani



Facete lepideque dicta

Amoris declaratio in saeculo computatorum

"Spero autem confidenter, tetemet condicionibus meis non perturbatum iri, quod egomet sum domesticus generationis computatorum grandaevorum!"



Comparatio mira

Alter: "Mulieres re et veritate aliquam comparisonem habent cum solanis lycopersicis seu tomatibus!"

Alter: "Qua de causa id pro certo sumere vis?"

Alter: "Res autem ita se habet: mulieres dum virent etiam (e)rubescere possunt!"



* * * * *

Consilium bonum et laudabile

Divortio conubii tandem feliciter peracto maritus pristinus uxori pristinae (di)missionem dedit verbis his: "Dilige proximum!"

* * * * *

Aeneator seu inflator seu lusor cornus Alpini Helveticus.



"Via circumflexa" seu Circuitus.



Confessio aperta ingenuaque

Verba autem ultima philosophi Germani Georgii Guilelmi Friderici Hegelii (1770-1831), cuius fama per omnes est propagata terras, haec fuisse dicuntur tradunturque: "Omnium discipulorum meorum tantummodo unus memet comprehendit - sed ille sane quidem penitus falso me comprehendit!"



AMICUS

Aenigma


QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM
ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
KALENDIS FEBRVARIIS EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

ad libram

7 instructu vel statutu
13 fugitum
15 quae hortos vel pascua
circumdat
19 non venietis
22 caeli signum prope ursam
maiores situm (Acc.)
26 ab Iove deo amata, mater
Persei (Gen.)
28 arbores, quarum frondibus
victores ornari solent
29 quae magnitudine superari
non possunt
33 ille iuvenis, qui volans
soli nimis appropinquavit
(Acc.)
35 horis labore vacuis fruamur
37 littera alphabeti Graeci
39 ad eum scriptorem Graecum,
qui poema de rebus caelestibus
composuit, pertinentia (Adj.)
43 ad pullos bestiarum hominibus
lanam praebentium pertinens
(Acc.pl.m.)
45 olus, cuius radix subalba
consumi potest (pl.)
46 liberali et forti mente
praeditam
49 instrumentum, quo rusticus
ad agrum colendum utitur
52 imprimat
54 fricas
57 deleniretis
59 vitta
61 quod in theatro est
62 quae res ludicras vel non
serias dixit
63 desiderabo
65 ornamenta pretiosa collo
circumdanda (Abl.)
67 faceti vel festivi
68 urbs Graeca Siciliae occi-
dentalis (Dat.)
69 adnepos (breviter)
71 illa bestia, quae Thisben
Pyramum expectantem fugavit
72 ordo vel caterva
73 pronomen personale
74 patria Ulixidis
75 summam maturitatis nactus
es
78 facetias agit
82 colonia (breviter)
83 urbs Siciliae, in qua
Aeschylus poeta vita defunctus
est (Gen.)

85 patria celeberrima poetarum
Graecorum (Gen.)
87 quo terra noctu umectatur
88 laetus fio
90 venditor candelarum (Gen.)
92 illud tempus, quod animilibus
hominibusque quietem somniaque
affert
93 avis becco curvo, sacra
habebatur apud Aegyptios
95 sed
97 ad urbem prope Alpheium
fluvium sitam pertinens (Dat.sg.f.)
99 carmina funesta Romanorum
101 quod canes rodere solent
102 pater duorum principum belli
Troiani, rex Argi Mycenaeque
(Dat.)
104 funi vel laqueo
105 quo loco?
107 filia regis Aethiopiae, quam
Perseus a belua maritima servavit
110 partem tantum consumpsisse
112 deus Graecus divitiarum (Gen.)
114 mare inter Italiam et Illyriam
situm
116 incola oppidi fere media in
Gallia siti, cuius in finibus
druides quotannis convenisse
Caesar narrat (Dat.)
119 vetulae (Dat.)
120 participes unius illarum trium
tribuum veterissimum Romae
(Gen.)
122 molles vel mites (Acc.f.)
124 adverbium temporale Latini-
num
125 cognomen Apollinis dei
126 amicus, cui Lucretius poeta
carmen suum de reum natura
dedicavit (Gen.)
127 cibus
128 ad aetatem iuvenilem per-
venisse
130 madidis
133 illuc
134 aio
135 testimoniis confirmas
137 carminibus magicis advocabitis
141 duos annos nata
143 pars intestinarum bestiarum,
qua spectata haruspices
vaticinabantur
145 nasci
146 ad illam partem diei
pertinentes, qua ululae
cantant et venantur (Acc.f.pl.)
149 parva imago
152 pignoris
153 asportatu
154 in altera parte sitis (plerumque
tantum adverbio utuntur, hic
adjectivum)
155 computare



ad perpendiculum

1 secundum praecepta	36 nutrimentum hordeacium (Dat.)
2 portus Romae (Gen.)	
3 scilicet	38 ea parte
4 summa singularium legum	40 una ex amatis Iovis dei in vaccam transformata
5 possum	
6 quaedam femina propter malum primo viro mundi oblatum nata (Gen.)	41 pronomen determinativum Latinum (Nom.pl.f.)
8 instumenta musica Phoeni- cia	42 cupiditatis
9 protectum	44 incola oppidi Carici, in quo cultus Aphroditae deae celebrabatur (Voc.)
10 locus, quo merces emuntur (Acc.)	45 opera textoria parvarum bestiolarum (Abl.)
11 igni cremata	47 fructus quercus
12 gratas vel suaves	48 ars, qua Socrates saepe eos, quibuscum sermocina- batur, per facetias subti- litateque convincebat
14 numquam dormiens (Acc.m.)	50 parva domus
16 dea Romana fertilitatem malorum, pirorum et alia- rum eiusmodi arborum cu- rans (Acc.)	51 maxime fide excellens (adv.)
17 qui stupuerunt	53 arbores altae foliis ar- genteis praeditae (Gen.)
18 cibum sumant	55 duxi vel loco movi
20 praenomen gentis Aemiliae (breviter)	56 parvae bestiae caudis ca- pillis densis in silvis habitantes
21 deus Aegyptiorum Osiri exaequatus (Dat.)	58 exstat (vetustiore lingua Latina)
23 institutio, qua scientias discipulorum vel studioso- rum experiuntur	60 silvis copiosum
24 sapienti....	62 quam nemo effugere potest (Abl.)
25 quid in hieme fieri solet	
27 agrum colo	64 scriptor Graecus, qui de- scriptionem Graeciae com- posuit (Abl.)
30 vestimentum, quo feminae utuntur	66 uxor Philemonis (Gen.)
31 contage	68 exsultabit
32 nympa, quae fontem habi- tat (Dat.)	70 assus sum (-ivi = ii)
34 insula Graeca, patria Si- monicis Bacchylidisque poetarum (Acc.)	76 hortus florum bene olen- tium et spinis praeditorum

77 poeta Syracusanus saeculi III.a.Chr.n. (Dat.)	118 filia Tantali propter superbiam ab Apolline Artemideque severissime punita
79 aliquid pulchrius faciam	
80 meretrix	
81 ... Silvia, mater Romuli et Remi (Gen.)	121 negotiator (breviter)
84 caelo (Abl.)	123 cupida devorandi
86 ad illum locum balneis praeclarum prope Neapolim situm pertinens (Gen.- pl.m.)	129 creationi
89 pars viscerum ventri	131 ille rex, cuius uxor raptata est ab hospite (Dat.)
91 amorem reddo	132 flumen magnum Pannoniam et Moesiam provincias praeterfluens (Gen.)
94 pars anni frigida et nivosa (Gen.)	134 ius divinum
96 aedificia magna altitu- dine	136 color, qui fit, si flavum fulvo miscetur
97 sacrificiis placavisse	138 ille dies, quem Caesarem cavere opportuisset (Gen.)
98 totaliter mansuefecit	
100 cognomen Ovidii poetae	139 corpus inscriptionum La- tinarum (breviter)
103 dea Romana sementis mes- sisque, uxor Saturni dei (Gen.)	140 rudens
106 unus ex septem sapienti- bus	142 dea Aegyptiorum (Abl.)
108 stipem peterem	144 voluntas potestasque deo- rum
109 offerens	147 magna bestia fortissima, quae Bernae urbe praeci- pue colitur (fem.)
111 segnis vel non idoneus	148 neque
113 maerore	150 negatio Latina
115 quod Romanos facere Aste- rix et Obelix Galli saepe dicunt	151 metallum pretiosissimum (breviter)
117 pecunia acquire	156 articulus linguae Hispa- niae


Hoc aenigam composuit

Daniel Weissmann



SOLUTIONES

Solutiones ex aenigmatibus, quae vobis certaminan ineunda in fasciculis 7+8/85 et 9+10/85 proposueramus, hoc loco publicantur:




De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium secundum praemium tertium praemium

Max Müller	Markus Reber	Bernhard Christen
Zürcherstr. 10	Bergstr. 8	Hafenstr. 48
4143 Dornach	4500 Solothurn	8590 Romanshorn

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.



DE ITINERE ROMAM NUPER FACTO

Vere praeterito cum nonnullis sociis quinque dies Romae peregeram. Multis rebus visitandi dignis tum visis tamen tempus longe non suffecit ad spectandum omnia, quae cognoscere in animo habebam. Itaque feriis aestivis appropinquantibus nullaue re obstante magna me cupido invasit iterum Romam iter faciendi et nonnulla nondum nota sive urbis ipsius sive regionis vicinae videndi. Ut totam urbem Romam omnino cognoscas, fieri vix possit, quia ad tale inceptum annis vel saeculis opus essent.

Tramine per noctem iter faciente usus tempore matutino proximi diei in urbem, cui cognomen "aeterna" est et quae olim umbilicus mundi fuerat, adveni. Impedimentis in deversorio prope stationem Termini sito depositis iterum profectus per vias, angiporta vicosque mihi non iam totaliter ignotos ambulabam. Etiam actio vias magnas transgrediendi, quam multi peregrinatores et multitudinem et vim automobilium timentes abhorrent, paulatim mihi non iam ausum capitalia pericula (1) afferens videbatur. Scilicet, si velis exspectare, quoad unum automobilium sua sponte subsistat, usque ad Kalendas Graecas tibi sit exspectandum. Necesse est igitur fortiter pedem in via ponas et certis gradibus animoque attento progrediens alteram viae partem petas. Automobilia regentes Italici

maxime sunt artifices et peritissimi vehendi, quia bene sciunt omni tempore pedibus euntem alicunde viam improviso intrare posse. Itaque celerrime agunt sive, si absoluta necessitudine coguntur, vehiculum sistentes, sive mirabilibus flexibus itineris te stupentem audacter circumvehentes. Num id semper faciant, quis scire possit? Sed fere faciunt, et equidem neque umquam pedibus euntem (2) a vehiculo prostratum vidi neque ipse prostratus sum. (Quomodo aliter haec nunc scribere possim?).

Ergo aream "Piazza della Repubblica" transgressus per viam Barberini migrans ad illum illustrem puteum "Fontana di Trevi" veni. Matutinis horis sol putei dimidiam partem clarissima luce perfudit, et simul lanterna ante puteum lucem dabat. Nondum frequentes aderant homines; Sub meridiem autem usque ad multam noctem aquam vix cernere potes, quia homines ubique circum puteum sedent, stant, spectant vel ipsi picturas instrumentis photographis (3) facientes vel alios de se ipsis facere iubentes; insuper mercatores parvas res memoriam evocantes, quas "Souvenirs" dicimus, vendere conantur mendicique manibus porrectis stipem petentes circumerrant. Nonnulli nummos in puteum iniciunt memores illius famae dicentis eis, qui Romam aliquando reverti cupiunt, parvum nummum manu dextra super sinistrum umerum vultu averso in puteum esse iaciendum; nupturis vel in matrimonium ducturis duo iaciendos esse, divortium facturis tres - ut dicitur. Quaecumque res se habet, equidem nummum meum inieci secundum principium: Etiam si nihil prosit, nihil tamen nocet.

Tum via del Corso transita columnam Marci Aurelii Caesaris in area "Piazza Colonna" sitam, cuius non multa videnda, quia renovandi causa tabulatis operta erat, praeterii et per pauca angiporta gradiens ad illud magnificentum templum unicum, quod "Pantheon" appellatur, perveni. Aedificium usque ad nostra tempora conservatum Hadrianus, ille Caesar ingeniosa mente praeditus, omnibus deis extruendum curavit. Per porticum magnam altis columnis Corinthis constructam intravi. Interna templi forma sphaeram effingit, qua mundi universum perfecto consensu imitatum est. Lumen non nisi per magnum tecti foramen rotundum immittitur in templum. Nostris temporibus non iam deorum Romanorum simulacra in

aediculis stant, sed inter alia etiam regum Italiae sepulcra et clarissimi pictoris Raffael illius saeculi, quo opera antiquorum renascebantur et cui itaque nomen "Renaissance" datum est.

Templo egressus aurigas, qui ante porticum in raedis sedentes homines cupidos vecturae ad urbem spectandam exspectabant, et equos eorum sacculis pabuli circumdatis prandentes reliqui et porro migrans paulo post aream notissimam "Piazza Navona" attigi, cuius ex forma adhuc apparet temporibus Romanorum stadium Domitiani Caesaris fuisse. Nunc tribus puteis ornata, quorum maximus "Fontana dei Fiumi" ante templum vel ecclesiam "Sant' Agnese" situs ab architecto Bernini factus quattuor fluvios, Nilum, Danuvium, Rio de la Plata, Gangemque humana facie exprimit. In Piazza Navona artifices, imprimis pictores versabantur, qui magna sollertia brevi tempore picturas, sive effigies pulchras sive imagines depravatas (4), eorum fortium, qui illis artificibus se offerre auderent, facere sciunt. Frequentiores erant ei, qui curiosi pictorem et pingendum circumstantes opera paulatim nascentia considerabant. Alii picturas de variis rebus visendis Romae ad emendum offerebant; peregrini (5) pedibus in aquam immersis circum puteos sedebant. Breve erat inde iter ad mausoleum Augusti Caesaris tantum extrinsecus spectandum et locus felibus gratus conveniendi; prope illud eiusdem imperatoris ara pacis. Quibus monumentis visis pontem Cavour transgressus secundum ripam Tiberis fluvi migrabam aedificiumque ingens, domum Iustitiae vel "Palazzo di Giustizia" (si iustitia tanti magnitudinis sit, quanti illud aedificium, Romanis sit gratulandum!) praeteriens ad castellum angeli, "Castel Sant' Angelo", perveni, quo nomine illud magnum aedificium rotundum nominatur, quod olim Hadrianus Caesar mausoleum sibi construi iussit. Nunc magis arcis faciem habet quam sepulcri propterea quod posterioribus saeculis castellum factum vel papis vel aliis, qui hostes urbem aggredientes fugerant, refugio erat; sed carcere quoque usum est, cuius in muris caecis et tristibus multi sive scelerati sive innocentes et tantum regentibus odiosi miseram vitam captivi egerent aut amiserunt.

Per scalas intra solidos muros nunc quoque obscuros ascendi

et a superiore contignatione (6) latus conspectus urbis, Ianiculi collis, Vaticani et partis Tiberis fluvii praebebatur.

Interea meridies et simul tempus cenandi advenerat. Itaque vehiculo publico eius coloris, cum fulvum rubro miscetur, per viam "Corso Vittorio Emanuele" vectus sum, cum ad aream "Piazza Venezia" illud monstrum aedificii immodicum marmore albo ad memoriam Italiae consociatae exstructum in conspectum venit, a multis foedum iudicatum, cui publice nomen "Altaria della Patria" est, cui Romani autem nomen "instrumentum mechanicum ad scribendum", nostra lingua "Schreibmaschine" dederunt. Mihi ille aspectus semper illam machinam computantem et pecuniam conservantem in mentem vocabat, quae nostra lingua "Registrierkasse" nominatur.

Ad stationem Termini vehiculo publico egressus siti fameque vexatus parvam tabernam in via transversa post thermas Diocletiani Caesaris sitam petivi, quam vere praeterito nonnumquam visitaveramus et quae propter bonam cenam placuerat. Cum intraveram, caupo mei recordatus hospitaliter comiterque me accepit magno cum gaudio, quod iterum in caupona eius cenabam. Posteris quoque diebus illam parvam iucundamque cauponam in via Gaeta sitam frequentavi.

Proximis diebus eodem modo partim migrans partim vehiculis publicis utens Romam explorabam et cognoscebam, seu loca celeberrima velut Forum Romanum, Colosseum, Capitolium, Palatinum Vaticanumque seu loca minus nota visitabam. Non modo monumenta antiquorum Romanorum vel aedificia, sed etiam nemora et hortos, Italice "Villa" nominata, frequentabam. Semita a Vaticano incipiente Ianiculum collem ascendi et praeter pharum ad monumentum Garibaldi ibam. In itinere latus urbis conspectus offerebatur, praecipua pulchritudine sub vesperum, cum sol occidens super totam urbem et innumerabiles turris, tholos (7), aedificia ecclesiasque lucem mitem effundebat atque procul, quod caelus serenus erat, montes Albanos et Sabinos aspicere poteram. Spectando satiatus de Ianiculo colle in vicum Transtiberim, qui sub Ianiculo situs est, descensus descriptionem urbis (8) de via quam brevissima consului. Sed ter in viam delatus sum, cui subito paries tabulatorum

finem fecit restitutionis stratae causa, quid descriptio non significabat. Praeter villas domusque illius regionis errans descriptionemque non accuratam et signa, quae ostenderent viam sine exitu esse, non exstantia exsecrans verbis hic non repetendis tandem stationem vehiculorum publicorum inveni, a qua Transtiberim vectus sum. Ibi in una multarum tabernarum, quarum tabulae in angiportis et viis positae erant, cenavi. Iucundum est cenare nudo sub aetheris axe, si fortuna adiuvante non nimia automobilia cenam malis odoribus turbantes praetervehuntur.

Tali modo Romam paulatim melius cognoscebam et sine descriptione quoque non itinere errabam viis areisque principalibus mediae regionis urbis notis. Semper res novae occurrebant, et quanto numerus visorum augebatur tanto videndorum quoque. Non modo illae magnae viae infames propter horribilem vehiculorum frequentiam, tumultum strepitumque Romae exstant, sed etiam parva angiporta et areolae quietae, ubi improviso videndi digna occurrant, velut in areola "Piazza Mattei" non procul a Piazza Venezia ille puteus testudinum amoenus, "Fontana delle tartarughe", in quo quattuor iuvenes super conchis magnis in delphinis stantes altera manu caudas piscium tenent, altera testudines quasi aquam hausturas supra labrum magnae paterae, quae super iuvenum capitibus est, spectantes fulciunt.

Per meridianas horas plerumque otium, quasi "Siestam", agens in deversorium me recipiebam et aquam mineralem bibens chartas scribebam vel descriptioni urbis studebam ad res gestas futuras.

Sub vesperum calore remisso et urbe ex otio meridiano experrecta paulatim frequentiores homines domus et loca umbrosa relinquentes in vias se conferebant, negotatores tabernas aperiebant et omnium generum merces exponentes emptores seu peregrinos seu matronas expectabant, caupones tabulas ad cenandum praeparabant. Homines omnium fere terrarum spectando vestimenta, habitus staturasque atque linguas, quibus utebantur, audiendo cernebam: Romanos Romanasque scilicet, populus ex aliis Italiae regionibus, ex Hispania, Gallia, Britannia, Helvetia, Germania, Arabia, Africa, America, Japane. Notabiles quoque variae vestiendi

consuetudines, imprimis puellarum feminarumque: aliae longis tunicis volitantibus pedibus tenus indutae erant, aliae brevissimis tuniculis vix nates tegentibus et formosa femora admirandi copiam dantibus, aliae aliquo vestimento inter extremitates longitudinum.


Tum per nocturnas vias spatiabar inter frequentem populum: solos vel in catervis euntes, paria amantium, familias cum puellis puerisque omnium fere aetatum. Iucundissimum erat mihi ad aream "Piazza della Rotonda" ante Pantheonem sitam ire et in scalis putei obelisco Aegyptio ornati inter alios sedentes, ridentes, iocantes, amplectentes, basiantes, somniantes, confabulantes, tacentes disputantesque sedens strepitum summissum aquarum audire, praetereuntes spectare, variis cogitationibus indulgere, nocte tepida mitique aestatis frui coram magnifica fronte templi Hadriani.

Nonnumquam ad scalam Hispanicam me conferebam, quae a "Piazza Spagna" multis gradibus eleganter ad ecclesiam "Trinita dei Monti" ducta est. Hic quoque multus populus magna ex parte iuvenioris aetatis in scalis sedebat. Alius cithara Hispanica (9) canebat, alii disputabant, alii nihil aliud agebant quam nocte frui.

Media nocte circiter hilaritate noctis aestivae delectatus in deversorium revertabar.

Daniel Weissmann

- | | |
|---------------------------------|--------------|
| (1) capitale periculum | Lebensgefahr |
| (2) pedibus iens | Fussgänger |
| (3) instrumentum photographicum | Photoapparat |
| (4) imago depravata | Karikatur |
| (5) peregrinus, -i, m. | Tourist |
| (6) contignatio, -onis, f. | Stockwerke |
| (7) tholus, -i, m. | Kuppel |
| (8) descriptio urbis | Stadtplan |
| (9) cithara Hispanica | Gitarre |




SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

Datum und Unterschrift

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!



AZ

8050 Zürich

11+12/85

IDIBVS DECEMBRIBVS
MCMLXXXV



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
Postfach

8050 Zürich

TOMUS 8

FASC. 56